

Defrisorum montium vertice, quæ deorsum sensim descendens, et in pilæ formam se revolvens semper aucta in tantam crevit amplitudinem, rotata usque in imum montis, ut oppida destruxerit maxima sua mole, teste Olao Magno, lib. II. c. XIII. Nix fuit mendacium Jacobi, et quod fœdus post destruxit inter Israelitas et Idumæos? Unde bene monet Ecclesiasticus, cap. II. *Noli velle mentiri omne mendacium; assiduitas enim illius non est bona.*

III. Parce seu paucis. Ita Christus paucis verbis se purgavit, et nullum verbum ultra addidit. Paucis enim ita satisfacit, et tam multa dixit, ut haberent parentes, quod accuratius expenderent. Sic ergo parce et solide loquendum, maxime liberis, ne videantur velle esse prudentiores parentibus, eosque docere; quod stultitiæ signum est, et merito ægre fertur a parentibus. Ne sint velut porticus illa septivoca, quæ una voce accepta reddebat septem, apud Lyeost. fol. CXV. in similit. Qui enim multa loquuntur, videntur causæ suæ diffidere, et cum primis parentibus turpitudinem suam foliis verborum velare velle, unde facile capiuntur in sermone, sicut purpura dum acutam et longam suam linguam extendit ad piscandum, et perforat cætera conchylia ad apprehensum capiuntur a piscatoribus, Pierius, lib. XXVIII. Plin. lib. IX. cap. LXXXIX. Aristot. de nat. animalium, l. VII. cap. XXXIV. juxta id Prov. X. §. X. *Stultus labiis verberabitur*, Chald. *capietur*. Sed a quo capiatur? A seipso primum, dum sæpe sui immemor contra seipsum, vel contraria loquetur. Deinde, ab ipso dæmone, qui et auctor est garrulitatis ac vaniloquentiæ simul et accusator. Id præstitit in quodam Franco de Germania, ut scribit, S. Hier. in vita S. Hilarionis, qui Constantii imp. candidatus ab ætate tenera a dæmone obsessus, Gazam ductus ad S. Hilarionem multa et Syra et Græca lingua quarum neutram didicerat, garriabat, et quo ordine intrasset, abbati exponebat. Verum sanctus: *Non, inquit, cura, quomodo intraveris, sed ut exeat, impero*. Sicque expulsus est. Viderint ergo qualem magistrum habeant garruli et vaniloqui. Quibus garrientibus etiam dici posset: *Non curo quomodo hoc vel illud garrias, sed ut taceas, volo.*

IV. Tarde et considerate. Sic enim Christus, cum duo ipsi proponeret mater: *Quid fecisti nobis sic? Ego et pater tuus, etc.* non respondit statim ad primum, nec interrupit sermonem matris, sed expectavit donec absolveret, postea loquens. Hunc in modum non præcipitanter et inconsiderate, sed cunctanter et prævia consideratione loquendum. Hoc est quod docuit Eccles. c. XXXII. *Adolescens loquere in causa tua vix, (ægre*

*et tarde scilicet.) Si bis interrogatus fueris, habeat caput (id est, summam vel rationem) responsum tuum, q. d. prius bene pondera, quid respondeas, postea responde succincte et cum ratione. Idcirco enim natura duas aures et unum os ac linguam dedit homini, ut his audiret, priusquam semel loqueretur: nec docere antequam discat, audeat. Hinc Deus dicitur, Ezechieli, c. XVI. §. XII. dedisse in aurem super os ejus: *Dedi in aurem super os tuum*. Sed quid in auris ori servit? Quia prius audiendum quam loquendum. Ergo permittit Deus comptulis gerant in aures sed in ore, non in auribus: hoc illorum ornamentum est. Evagrius a quodam sene dogma salutis petens, hoc responsum tulit: *Si vis salvari, quando ad aliquem vadis, non prius loquaris, antequam te ille inquirat, in vitis pp. lib. V. c. XIX. de discretione. Fac hoc mi adolescens, et quicumque alius, et multum tibi proderit ad salutem comparandam.**

V. Obsequenter; ita nimirum respondeas cum interrogatus fueris: non malitiose taceas. Ita Christus, sui licet potestatem habens, interrogatus cur solus remansisset, non abnegat responsum: sed velut morigerus filius respondet, ac rationem reddit: qui cum Deus esset, et jam tum inter doctores in honore et admiratione foret, non dedignatur respondere parentibus, et subijcere se illis. Contra hoc agunt illi, qui ex perfricta fronte vel malevolentia interrogati non respondent: uti Cain, qui a Deo rogatus: *Quare iratus, et cur concidit facies tua?* ex contumacia et contemptu ne verbum quidem respondit, tegens iram suam; iterum interrogatus: *Nonne si bene egeris, recipies? Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Nequidem respondet vel unum verbum. Ad extremum interpellatus: *Ubi est Abel frater tuus, respondit nequiter: Nescio, cum tamen ipsum occidisset, et occisum abscondisset. Et non absimiles fuere Pharisæi, Luc. XIV. Interrogati enim a Christo: Si licet sabbato curare, malevole tacerunt, parantes accusationem et clam indignantes; similes canibus dolosis, qui non allatrant advenas, sed incautos mordent. Non respondere filios parentibus nec loqui, cum jubentur, eos est despiciere, et imperium illorum flocci pendere. Scimus autem quid dicat Sapiens, Prov. XXX. *Oculum qui subsannat patrem, effodient eum corvi de torrentibus.* Doctor hujus silentii est dæmon, ut ostendit B. Petrus Damiani, in epist. XXI. ad Damianum monachum, l. VI. epist. de quodam Mariano monacho, qui a dæmone in formâ angeli lucis sibi apparente edoctus, ne, qui cum angelis loqui consuevisset, deinceps loqueretur cum hominibus, protinus silentium sibi indixit, ut nec cum fratribus,*

nec cum superiore suo loqui vellet amplius. Quare abbas in cellulam ejus vi irrumpens, flagris eum cecidit, usque dum loqui compelleret; sicque delirantem ad sanam mentem reduxit. Neque melius remedium parentes adhibere possunt ad contumaces filios, ex malitia silentes, ut loqui eos doceant, cum loquendum est.

VI. Sedate; ut Christus, dum per modum nescientis vel dubitantis interrogat: *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, etc.* non ait: Non debetis me quæere, sed cogitare potius, etc. non sic, sed quasi dubitando, vel potius ex humilitate mirando, cur pro ipso tam solliciti essent, eo quod in custodia sui Patris esset. Sic etiam inter doctores loquebatur, interrogans nimirum et interrogando humiliter eos erudiens. Ergo boni filii, quando parentibus aliquid insinuare volunt, etiam quando ipsi errarent, modeste id faciant, per modum interrogationis, vel applicationis, non reprehensionis aut objurgationis. Sic Jonathas iratum patrem facile placavit loquendo pro Davide: *Ne pecces reâ in David servum tuum, quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde.* Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathæ juravit: *Vivit Dominus, quia non occidetur*, I. Reg. XIX. Contra quando postea, cap. seq. acerbius patri dixit: *Quare morietur? Quid fecit?* iram patris in se derivavit atque armavit, ita ut Saul arriperet lanceam volens percutere eum. Bene igitur Sapiens, Prov. XV. ait: *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitât furem.* Sic Philippum I. christianum imp. in ludis publicis indecentius cachinnantem Philippus filius vultu averso tantum notavit, Borel. Viet. in Philippo, apud Baron. an. 249. Impegit e contra in hoc graviter adolescens quidam nobilis Flexiæ in Gallia natus, quod ex recenti memoria et teste oculato P. Henrico Compegio soc. nostræ scribit Philip. Doultreman. p. I. pædag. christ. c. VI. § III.

« Hic cum a parentibus tantum pecuniæ, quantum petierat, non accepisset, litteras ad eos dedit conviciis ac maledictis plenas. Sed eas vix miserat, cum subito ita omni audiendi facultate spoliatus est, ut ne vel tormenti bellici fragorem perciperet. Malo isti diu quæsitâ per Galliam remedia, sed frustra. Statuit ergo adolescens a cælo petere, quod in terra negabatur. Eam ob rem Lauretum, ad misericordiæ Matrem prope rat, ubi positus rite anteaetæ vitæ maculis, indicisque sibi novem dialibus, in sacra B. Virginis æde, precibus, Deum per Matrem placare aggre ditur. Proxime aderat dies, quo ejusdem S. Virginis in cælos assumptæ memoria colitur solemniter, cum in ejusdem diei pervigilio se-

cundum quietem nocte videre sibi visus est matronam augusta specie cum utroque parente cubiculum ingredientem et ab his perconctantem: *Essetne iste eorum filius? Quibus annuentibus, accessisse ad lectum: immissoque in aurem digito, chartam eduxisse, et explicatam proposuisse: legisse vero ipsa impietatis suæ carmina, quæ nuper parentibus exarasset. Super quæ evanescente viso expergefactus adolescens, restituito in integrum auditu ad p. Compegium sibi a confessionibus occurrit, et in ipsa sacra Virginis Mariæ æde jurejurando rem sibi evenisse testatur, an. 1613. » Diogenes in quemdam, qui patrem suum despiciebat, ait: *Non te pudet contemnere eum, cui debes hoc ipsum quod tibi places*, Laert. l. V. Et Plato videns quemdam, apud patrem suum fastuosum agere ac loqui: *Non desines adolescens, inquit, illum contemnere cujus gratia altum sapere vis?* Stobæus, serm. LXXIII. Parentes præsertim senes maximam sentiunt consolationem ex modestis et dulcibus filiorum alloquiis. Et sicut fructus arboris vitæ in paradiso prorogasset vitam hominibus, sic liberorum humiles sermones prorogant quasi vitam parentibus. Unde Prov. dicitur: *Lingua placabilis lignum vitæ.**

Audivimus magistrum eloquentiæ Christum, vidimus etiam artis hujus non parvam difficultatem. Quare imprimis juvenes incipiant tempestive et a teneris artem hanc addiscere, postea in adulta ætate vix amplius comparandam. Sententia est antiquorum, infantes qui exacto triennio non loquuntur, postea lingua præpedito fore; unde silentium picturi, scribebant numerum 1093. (tot enim sunt dies in triennio) in hoc hierogl. Pari modo, qui in pueritia et juventute bene loqui non addiscit, reliqua vita male loquetur: *Puer autem centum annorum morietur*, inquit Isaias, c. LXV.

CONCIO III.

QUOMODO AMITTATUR CHRISTUS IN DIEBUS FESTIVIS. I. Amittitur labore servili. — II. Nundinatione et simili negotiatione. — III. Comotationibus et conviviis. — IV. Vestium luxu. — V. Ludis et choreis. — VI. Otio et ignavia.

THEMA.

Remansit puer Jesus in Jerusalem et non cognoverunt parentes ejus. Luc. II.

Mira res, auditores, in solemnibus paschatis festis Christus amittitur. Nonne si toto anno perditus fuisset, in paschate, ubi omnis Judæorum popu-

lus Jerosolymam confluebat, ibi reperiendus crederetur? Et tamen ibi perditus fuit. Quod autem contigit ibi Christo semel absque parentum culpa: hoc idem et sæpissime quidem contingit ei adhuc, sed Christianorum culpa. Hi namque in diebus festis amittunt Christum ejusque gratiam, in quibus eum invenire, si perdidissent, deberent. Unde S. Chrysost. hom. I. de Lazaro ait: *Accepisti sabbatum, ut animam tuam liberares a vitis; tu vero cum magis illa committis.* Graviter aliqui, sed hæretici, accusant B. Virginem, quod amiserit Christum: impie et immerito. Nos accusandi, qui per nostram culpam iis ipsis sacris diebus, quibus Christi gratiam invenire oporteret, perdere solemus. Sed quomodo, inquis, factum est, ut Christum parentes perderent? Facile hoc contingere potuit, Christo se subducente quando manere in Jerusalem voluit. Quæramus potius nos, quomodo contingat, ut Christum nos perdamus in festivis diebus.

I. Perdimus cum labore servili, non necessario et diutius protracto. Licet autem, si necessarius sit vel brevis valde, peccatum grave non inducat, facile tamen contingit, ut quis amore proximi cæcatus necessarium judicet, qui necessarius non est vel diutius protrahat, quem citius expedire intendit. Sane in vita S. Alchardi abbatis Gimesiensis scribit Fulbertus, cum is aliquando negotiis distentus sub noctem imminentis diei dominicæ curaret capillum sibi attonderi, dæmonem ab eo visum, capillos detonsos colligentem ac numerantem, ut eos principi suo Luciferi deferret, apud Sur. 15. sept. Ita omnino sæpe existimamus fieri die festivo aliquid debere, quod bene in alium diem differri posset, vel anteverti; unde fit ut coram Deo transgressores efficiamur. Quam multi diebus non festivis otiantur, sedent in tabernis vel ad aleas, qui postea adventante dominica die ex necessitate sibi laborandum existimant!

Alii servos saltem suos aut subditos occupant laboribus per festivos dies non multo mitiores Pharaone, qui laboribus oppressit Hebræos, ut non possent cogitare de sacrificio faciendo. *Ite ad onera vestra,* aiebat: *Vacatis otio et idcirco dicitis: Eamus et sacrificemus Domino. Ite ergo et operamini,* Exod. V. Ponit aliis diabolus nunc hoc, nunc illud obstaculum adeundi templi, donec missæ tempus elapsum sit, eo fere modo, quo dicitur aliquando Nathan prophetam retraxisse a proposito sanctissimo maximeque necessario. Dum enim intellexisset Nathan, ut scribunt Epiphanius, Dorotheus et chronicon Alexandrinum (quanta auctoritate nescio) Davidem

inclinare ad gravissimum adulterii lapsum, illico e patria Jerosolymam advolavit, ut lapsum ejus anteverteret, sed diabolus in via objecit illi corpus exanime, quod ille, dum sepulturæ, ne a feris laceraretur, traderet, tempus interim extraxit, quominus tempestive ad servandum Davidem adventaret: sicque ubi prophético spiritu intellexit, crimen a Davide jam admissum esse, mœrens domum reversus est. Ita sepe dæmon objicere solet hominibus pia quædam opera, sed non necessaria, nec præcepta, ut illis occupatos et detentos retrahat a necessariis et præceptis.

II. Nundinatione vel simili negotiatione, dum ad nundinas hinc inde discurrunt, nec rem divinam curant: vel domi cauponariam exercent, missa neglecta, ut nummos venentur. Itaque pecuniam curæ animæ suæ et præcepto Ecclesiæ præferunt. Qua de re Eccles. X. ait: *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam; hic enim et animam suam venalem habet, quia in vita projecit intima sua,* quasi diceret: Non solum merces et vinum suum, sed etiam animam suam amore lucri vendit: et effundit viscera sua, committens se navigationibus periculosis, itineribus, vigiliis et laboribus continuis: simulque rem divinam, diebus festivis negligens. Ad hæc, tales nundinas sæpe injustitiæ comitantur. Quemadmodum enim filie Madianitarum, Num. XXV. proposuerunt initio decipiendis Hebræis cibos tantum idolothytos, postea pellexerunt eos etiam ad libidinem, denique ad idololatriam: sic initio mercimonia proferuntur; tum perjuria, denique injustitiæ et doli innumeri committuntur. Atqui hæc talia plusquam servilia opera sunt, (*Qui enim facit peccatum, servus est peccati,* Joan. VIII.) festivis diebus magis in festa quam laboribus. In vita S. Eduardi Angliæ regis, apud Sur. 5. jan. legimus S. Petrum piscatori cuidam promississe copiam piscaturæ abundantem, quoad viveret ejus progenies, modo ne ultra piscari auderent in dominicis diebus, idque eventus probavit. Similem benedictionem expectare possunt a Deo, quicumque ejus festa sedulo observant.

III. Comotationibus et conviviis, quæ festivis potissimum diebus solent institui. Quæ quidem si intra limites temperantiæ se continerent, tolerari possent, sed in eis tamen sæpe Christus perditur; primo, dum diu nimis protrahuntur, ex quo festum Dei fit festum Bacchi et ventris; de quo Malach. II. Deus indignabundus ait: *Dispergam super vultum vestrum sterces* (Septuaginta interpretes legunt, *ventriculum*) *solemnitatum vestrarum, q. d. vos habetis festa ventris tantum,*

et vertitis ea in stercus, sicut ventriculus cibos. Eo vos aspersos in confusionem dabo.

Secundo, dum aliqui saltem ob societatem et in gratiam aliorum se inebriant: unde quemadmodum ab Amalec, qui populus lambens vel lingens exponitur, postremi agminis Israelitici cæsi sunt, Deut. XXV. ita qui postremi a conviviis et comotationibus surgunt, fere saucii a vino et ebrii semper discedunt. Fit etiam communiter ut alter alterum retineat: *Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium,* ait Nahum, c. I.

Tertio, dum in talibus conviviis miscentur detractiones, turpiloquia, derisiones, clamores, jurgia, etc. Unde fit ad extremum convivium Herodis, quod in natalis ejus honorem institutum; primo, quidem hilare et jucundum fuit: post, ubi ejus juramento et iniquissimo mandato caput Joannis abscissum et in disco allatum fuit, factum est fere fiale, crudele et anthropagicum.

Quarto, dum tot, tamque diuturnis conviviis occupantur coqui et coquæ, imo fere omnes domestici, ita ut nec mane sacrum, nec vesperi concionem audire queant, magno salutis ipsorum detrimento, quod etiam in dominos recidit. Sicque contingit fere id, quod apud gentiles olim, et in novo orbe adhuc fit, ut mortuo et in rogum deposito domino, etiam servi cum ipso comburantur.

IV. Vestium insolenti ac nimio ornatu. Etsi enim honestior habitus ad decorem festi gestatus, laudandus est, ubi tamen a scopo isto aberrat, in perniciem propriam et alienam cedit. Qui ad honorem festi decentius se vestiunt, id faciunt etiam, quando in publicum non prodeunt, uti Thomas Morus Angliæ cancellarius, qui etiam in carcere pro tuenda Ecclesia detentus, honestius se vestiebat in dominicis et festivis aliis diebus, præcise ad honorem festi. Sed non sic alii omnes. Multi in iis diebus, expandunt retia sua contexta multo labore, veluti araneæ, ut muscas capiant, vanos scilicet ramusculos, quo videantur ab hominibus instar pavonum, qui cum laudantur et spectatores habent, expandunt stellatum orbem suum: cum negliguntur aut vituperantur, abscondunt. Rursum dum comuntur et poliuntur, suaque retia texunt, rem divinam sæpe negligunt, sicque cum fatuis illis virginibus, dum eunt emptum oleum pro ornatu lampadum et diutius morantur, adventum sponsi negligunt.

Denique, suo illo ornatu machinantur aliis perditionem, non secus ac mulier illa fornicaria in Apoc. XVII. quæ prodiit in dominica die (tali

enim die vidit in spiritu Joannes suam Apocalypsin, Apoc. I.) *circumdatus purpura et coccino et inauratus auro et lapide pretioso et margaritis, habens poculum aureum in manu sua* (alliciendis scilicet ad bibendum hominibus) *plenum abominatione et immunditia fornicationis ejus.* Quid hoc aureum poculum, nisi voluptas carnis, plena veneno?

V. Ludis ac choreis. Etiam si enim honesta animi relaxatio vetita non est in sacris diebus, facile tamen contingit, ut per excessum perdatur Christus. Primo, quia dum quis ludo multum perdit, facile irascitur, execratur et blasphematur: quin et interdum in desperationem actus furatur, rapit, occidit. Hinc S. Basilius archiepisc. Cæsareæ Cappadociæ sanctissimus, subinde diutius detinebat suos in concione festivis diebus, ne mox ad ludos abirent. Sic enim ait hom. VIII. in hexam. « Si longiusculo tempore vos detineo, non inutile profecto fuerit. Quid enim agat aliud quisquam vestrum ab usque tempore hoc ad solem usque cadentem? etc. » Et mox: « Si vos dimisero et consilium hoc dissolvero, sunt qui profinus ad tesseras aleasque sese conferant. Juramenta sunt illic contentionesque pergraves ac avaritiæ partus, spiritus malignus assistit, furorem cunctis ossibus illis ludentium insaniamque accendens. Eisdem ille pecunias nunc ad alterum transfert. Atque modo hunc victoria effert, illum victum mœstitia premit: contra illum elatum, hunc demissum ostendit. » Itaque ex illius sanctissimi viri sententia diabolus cum lusoribus velut pila ludit; nunc in sublime fastus et lætitiæ eos efferens, nunc in profundum abjectionis, mœstitiæ et desperationis deprimens. Exemplo sint duo Angli juvenes, Joan. Stuardus Angliæ regis cognatus, et major natu filius baronis Warthonis. Hic cum Stuardum in lusu mendacii arguisset, colaphum ab illo accepit. Hinc contentione orta prope Londinum duello instituto mutuo se vulneribus ambo confecerunt, anno 1609. refert Emmanuel de Mettern. I. XXIX. hist. Belg. Deinde quia frequenti ludo inardescit ludendi cupiditas ut abstinendi vix sit modus. Unde Plato dicitur adolescentem reprehendisse ludentem, cumque is partum esse pro re non magna ludere, diceret: *At non parum est,* ait, *assuescere.*

VI. Otio et ignavia. Ad quietem quidem corporis concessi sunt festivi dies; sed non ad otium et ignaviam: hæc enim sunt pulvinar dæmonis. Unde S. Chrysost. conc. 1. de Lazaro ait: « Quod sabbatum non otii sed spiritualis actionis materia sit, dilucidum est ex ipsis rebus. Nam sacerdos eo die duplum fecit operis, qui quotidie,

nonnisi unicam hostiam offerre solitus, sabbato jubetur offerre geminam. Itaque pia vel honesta saltem occupatio quaerenda est. Dormire eo usque quoad missa negligatur, duplex peccatum est: spectare perpetuo e fenestra homines, periculosum est: quia id Davidem everfit. Nihil omnino agere, tempus perdit et docet male agere. Ut enim lapides molares, si vacui currant, non affuso frumento seipsos atterunt, quin et molendinum, excitato per affricum vehementem igne, incendunt: ita mens hominis vigilantis, quia semper in aliquo motu et cogitatione est, nisi rei honestae objecto sese occupet, seipsam otio perdet et ignem variae concupiscentiae in seipsa et annexa carne excitabit.

Ita demum fit, ut festa non jam Dei festa, sed nostra fiant: dum fere totum diem ad nostras voluptates trahimus. Unde Isa. 1. ait: *Calendas vestras et solemnitates vestras odivi anima mea: facta sunt mihi molesta: laboravi sustinens. Impleturque in daemone vel saltem in mundo, quod dicitur de Nabuchodonosore, Habac. 1. Totum in humo sublevavit. Super haec laetabitur et exultabit. Vel certe quod Amos III. dicitur: Quomodo si eruat pastor duo crura de ore leonis, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel. Duo crura, duo sunt pedes, quibus ad audiendam missam itur, extremum auriculæ est particula concionis auditæ. Hæ solummodo portiunculæ in Dei manu remanent, totum reliquum festivitatis tempus auferit secum diabolus in multis saltem hominibus, quandoque etiam totum festum diem sublevat in hamo; videlicet in illis, qui nec ad rem divinam accedunt. En quot modis et quam facile perdamus Dominum Jesum! Et non dolebimus nec præcavebimus tantam jacturam? Considerate quantum doluerint B. Virgo et Joseph ob amissum Jesum, tametsi eum secundum corporalem tantum præsentiam et ad breve tempus nulla sua culpa perdididerant. Quanto plus dolendum, si quis ejus gratiam sua culpa perdat? Heli cum audivit arcam fœderis ab Israelitis perditam, et ab hoste captam, præ dolore cecidit de sella retrorsum et fractis cervicibus mortuus est. Nurus ejus similiter præ dolore pariens extincta est, I. Reg. IV. Longe majus damnum facimus ac patimur, cum Christum ejusque gratiam per peccatum perdimus. Doleamus ergo si hoc fecimus; si non fecimus, caveamus; ne cum dolore eum requirere cogamur, forsitan non inventuri.*

CONCIO IV.

QUARE CHRISTUS EJUSQUE GRATIA TAM CITO ET FACILE A QUIBUSDAM PERDATUR.

A multis post has ferias iterum perditur Christus. — I. Cum descendimus et remittimus a concepto fervore. — II. Cum propositi nostri obliviscimur. — III. Cum turbis malarum societatum nos miscemus. — IV. Cum non curamus vitare peccata venialia. — V. Cum priorum peccatorum dulcedinem in memoriam revocamus. — VI. Cum Dei gratiam acceptam non æstimamus, quanta æstimanda est. — VII. Cum temere putamus, non esse periculum, ubi tamen est.

THEMA.

Remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Luc. II.

Bene dixit Sapiens, Prov. XIV. *Extrema gaudia luctus occupat.* Gavisus sumus per hos dies, quando Christum Salvatorem invenimus cum pastoribus, et rursus cum tribus regibus. Sed en quam breve gaudium! Hodie, quem invenimus, iterum perdidimus. Quamquam luctus iste non diuturnus fuit, nam post diem tertium rursus invenimus eum; magis dolendum est, quod multi Christiani, postquam his diebus invenerunt Christum et in corde suo reposuerunt, iterum deperdant, longe majori damno suo, quam perdidissent eum parentes ejus. Et quomodo tandem fit hoc? Cujus et incuria? *Non cognoverunt parentes ejus*, ait. s. textus de Christi amissione. Puto idem multis contingere, nescire se quomodo perdat Christum. Videamus igitur nunc, quomodo id contingat.

I. Christus fuit perditus in descensu parentum ex Jerusalem, non in ascensu. Simili modo contigit ut Christum amittamus, cum descendimus a concepto fervore et relaxamus pia opera, quæ in ascensu ad poenitentiam facere incepimus. Novimus enim ex Domini verbo, diabolus semel ejectus, quando invenit domum, e qua pulsus est, vacantem a bonis scilicet operibus, reditum moliri et facile invenire.

Sed dices: Si domus scopis mundata et ornata est, quomodo daemone parata? Respondeo mundari scopis domum, non solum ab industria matrisfamilias, quæ a sordibus eam purgat; sed etiam ab otiosa et prodiga, quæ sua inertia et prodigalitate paulatim suppellectilem omnem, ipsamque domum exhaurit, oppignorat aut vendit: tunc enim domum suam adornat et emundat, non sibi, sed creditori. Ita qui cor suum virtutibus evacuat et bonis operibus destituit, peccata venialia sine metu committit, is parat et exprimat eam ad habitandum daemone. Amale-

citæ post peractam et abactam prædam ex Si-celeg, in campo discumbentes, comedentes et bibentes, a Davide ejusque militibus obruuntur et cæduntur prædaque spoliantur, I. Reg. XXX. Sic fortasse jam dicent aliqui: Spoliavimus infernum, dum his sacris diebus per confessionem et communionem ascendimus ad Deum, ergo et jam comedamus et bibamus: *Jam non est Satan, neque occursum malus.* Interim dum remittimus nonnihil a concepto fervore et spiritu intepescimus, ac pericula peccandi rursus adimus, pia opera intermittimus, repente obruit nos malignus hostis et despoliat atque in pristinam servitutem retrahit.

II. Forsan ideo Christus perditus fuit, quia parentes subinde occupati aliis negotiis, ejus quasi obliti non semper ad ipsum respexerunt. Ita post peractam poenitentiam et acquisitam Dei gratiam, rursus aliqui perditur Christum, quia propositum emendandæ vitæ, cum quo ad Deum ascendunt, postea obliti, non curant renovare. Certe ex hac causa videtur lapsus Petrus et Christum abnegasse, qui prædicationis Christi, et sui, quod conceperat, propositi (se Christum minime negaturum, tametsi omnes alii negarent) memor esse desiit: quomodo enim alias, si recordatus fuisset momentis magistri, et suæ tam cordatæ promissionis, negare potuisset? Patet ergo quantum obsit oblivio propositi prius concepti. Hinc Anna illa mater Samuelis, ut memor esset voti sui, quo filium a Deo acceptum ei devoverat, appellavit eum *Samuel*, id est, *positum*, seu *datum a Deo*: et cum eo educavit vitulum, ut post triennium oblatura filium, in aspectu vituli, voti sui memor esset, ut vult Theodoretus, I. Reg. I. ex Septuaginta interpretibus qui legunt *cum triennali vitulo*, non, *cum tribus vitulis*. Antiqui Christiani carentibus notis nomen Jesu vel crucis carni inscribebant, ut earum intuitu crebro instaurarent memoriam baptismi et voti sui, teste Procopio, in c. XLIV. Isa. Utinam nos modo nostra bona proposita fortiter imprimeremus saltem memoria!

III. Forsan ideo Christus amissus fuit, quia parentes ejus una cum ipso in turbam hominum inciderunt, quæ tunc multa Jerosolymis congregata fuit. Ex hoc etiam capite multi in lapsus recidunt, quia turbis se immiscunt malarum societatum, vel ad secularia negotia, verba et cogitationes rursus se effundunt, timore Dei abjecto. Sic prodigus ille deserta patria, dum abiit in regiones exterius pravas sectatus societates, omnia sua dissipavit, imo seipsum perdidit (inde appellamus eum perditum filium) qui domi

omnia servasset. In Africa excelsus mons porrigitur in longitudinem ducentorum stadiorum, (quinque milliaribus Germanis) qui silvestribus abundat felibus; quo fit, ut nullæ omnino aves ibi neque in arboribus, neque in vallibus, nidus extruant, ob periculum amittendi pullos, Diodor. lib. XX. Par periculum imminet iis, qui in turba vivunt, ne iterum Christum perdant: mundus enim est talium felium et insidiatorum plenus; non dico fugiendos homines, mundum deserendum, in religionem intrandum; sed in mundo non nidificandum, non contrahendam cum dissolutis familiaritatem, non munuscula danda aut accipienda, non adhærendum malis. Magi non hæserunt Jerosolymis, non dederunt munera Herodi, sed cito transierunt: sic immunes fuerunt. Ergo aviculæ sciunt sibi et suis pullis cavere, et homo nescit? Magi gentiles norunt se extrahere ex insidiis Herodis, et non scient Christiani?

IV. Quid si ideo perditus quia cum coævis sibi pueris conversationis gratia sibimet relictus est? Quidquid de hoc sit, illud certum est multos iterum labi mox in peccata mortalia, quia non cavent venialia, quæ sunt quasi pueri respectu mortalium, quæ sunt quasi viri, ut docet Sanctus Thomas, I. II. q. LXXXVIII. art. VI. ad 1. cum ait: *Veniale differt a mortali, sicut imperfectum a perfecto, ut puer a viro, fit autem ex puero vir, etc.* Peccata venialia quasi parvi sunt furunculi, qui ubi per foramen domus ingressi sunt, ostium aperiunt magnis furibus. Par ratio est de proximis peccandi occasionibus, a quibus ad peccatum facillimus est lapsus. Occasiones illæ quasi pueri sunt, e quibus tamen viri fiunt. Hinc Nazareis olim, qui votum non bibendi vinum fecerant, uvas etiam non modo recentes, sed etiam passas edere prohibitum fuit, Num. VI. quia uvæ vino cognatæ sunt, et ex uvarum comestione facilis est transitus ad vini potum. Eadem de causa prohibuit Deus jure fœdera et connubia cum gentilibus, Deut. II. quia ut dicitur III. Regum XI. *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras (filias); certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum.* Ecce etiam ingressum prohibet Hebræis ad filias gentiles; quia ex ingressu sequitur colloquium et conversatio, ex hac amor et luxuria. Par periculum est in conviviiis et comotationibus, quæ quia adiit Holofernes, Amnon, Simon et alii, hinc inebriati et postea occisi sunt. Par ratio de spectaculis obscœnis, quæ, ut scribit S. Augustinus, lib. VI. confess. cap. VIII. illaquearunt quemdam contubernalem suum Alypium, qui cum primo aversaretur sanguinaria